

hoc usus est consilio, ut scilicet in alteram libræ lancem collocaret merita, Passionem, et Sanguinem, a Salvatore in cruce effusum nec non amorem, quo tempore vitæ suæ eandem Dominicam Passionem meditatus fuerat. Quo facto, lanx illa in qua merita sua simul cum Sanguine Christi trutinabantur, longe prævalens præponderavit, ipseque æternæ perditionis evasit periculum.

« Utilitas ad purgatorium evitandum. »
 Uti Christus ipse B. Henrico Susoni revelavit, dicens: Animam, quæ se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius passionis meæ thesaurum adeo ad se adjungere, sibi que applicare, ut etiam, si vel mille annis puniendi sit in purgatorii locis, brevi tempore, et culpam, et ponam omnem dissolvat, ita ut absque purgatorio libera commigret in cælum. Blosius, in *Conclav.*, c. II.

« Utilitas ad beatitudinem certius procurandum. » De qua sic discurrit Mansi: Quisnam, obsecro, primus fuit fructus, qui in conspectu totius populi Hebræi, ad acquisitionem Palæstinae, quæ typus erat terræ promissionis cælestis, properantis apparuit? Botrus quidem vitæ et vecte dependens. Hæc autem omnia in figura contingebant; nam, ut Taulerus de Passione Redemptoris differens ait: Botrus in vectem appensus est, ut nos de promissionis terra certos redderet, et securus. Unde, et Apostolus ad Hebræos ait: « Habentes, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum, in Sanguine Christi. » In libro Josue legitur, quod, licet adversus civitatem Jericho irrevocabilis ultimi exterminii sententia a divina Justitia fulminata fuisset, ab hac tamen universali ruina Rahab, ejusque familiam in præmium hospitalitatis, qua populi sui electi emissos exploratores, gravi cum periculo, hospicio exceperat, eximere voluerit. Sed quoniam signo Rahab notari voluit, ut eo viso a devastatoribus illi parceretur? signum fuit funiculus coccineus. Hic autem funiculus coccineus, ut glossa interlinearis exponit, Sanguis est Christi; ubi enim hic sanguis Agni immaculati, pro nobis in monte Golgotha sacrificati rutilat, ubi indubitatum et pignus æternæ salvationis. Unde Leo Magnus ex infallibili cathedra Petri stupulatam nobis offert promissionem, dicens: Secura est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ Passionis. MANSI., *Disc.* VII., n. 4. Quod ipsum etiam cælestis Sponsus

confirmavit, dum Beatæ Angelæ de Fulgino dixit: O vos vere beati, et omnino benedicti! Si enim in cruce pro meis crucifixoribus, cum lacrimis, et fletu rogavi Patrem meum, et excusavi, dicens: « Pater, dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt; » quid pro vobis, qui mihi compassi, devoti, et consocii fuistis, dicturus sum, cum non in cruce, sed in gloria felicissimum orbem judicabo? BOLLANDUS, 4 Jan., f. 202. Quos omnes hactenus recensitos fructus idem dulcis Sponsus quidam amico suo revelavit, dicens: Quisquis bona voluntate præditus Passionis meæ lectioni aut meditationi humiliter, et studiose, ut oportet, insistit, novem inde utilitates consequitur. « Prima est, » quod de peccatis omnibus emundatur, et quicquid neglexit, ex meritis meis restituitur. « Secunda, » quod ad resistendum hostibus suis ita confortatur, ut nullum ex eo triumphum referre queant; nam tametsi ipse ex infirmitate nonnunquam labitur, dexteram tamen meam superponam, ne collidatur, et pereat. « Tertia, » quod ad bona quæque opera, diversaque virtutes peragendas vires accipit. « Quarta, » Quamlibet brevi cogitatione eandem Passionem meam revolvat, semper anima ejus in gratia mea renovatur. « Quinta, » quod devote illam commemoranti libenter ipse commoror. « Sexta, » quod arcana mihi a Deo Patre manifestata, illi similiter aliquando pandam. « Septima, » quod eum ante mortem mihi placentem reddam, et defunctum eum cum charis amicis meis remunerabor. « Octava » quod nihil eorum, quæ serio, et rationabiliter, convenienterque petit, illi negabo. « Nona, » quod in morte illi adversus hostes ejus assistam, et de vita æterna illum faciam certum atque securum. Blosius, in *Sacell. amin.*, c. XXI, n. 4.

« Utilitas ad meritum augendum. » Nam, ut B. Albertus ait, simplex recordatio vel meditatio Passionis Christi, plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane, et aqua, qualibet sexta feria, vel se usque ad sanguinem cæderet, vel quotidie Psalterium legeret. B. ALB. MAGN., tr. de *Sacris. Miss.* Cujus rationem addit Ludovicus de Ponte his verbis: Quia prædicta opera, etsi bona valde, et utilia, non habent tantam vim ad purificandum cor a suis vitiiis, illudque veritatibus, et virtutibus illustrandum, et inflammatis amoris divini affectibus perficiendum, atque attentata, et profunda Passionis

Christi meditatio; quæ omnia hæc efficit, additque etiam spiritum, et vitam penitentis ipsis, et operibus externis, permovendo efficaciter ad ferventem eorumdem exercitationem. LUD. DE PONT., IV, p. *Introd. ad Med.*

Quia « Christo » nihil « gratius, » et « jucundius » est, quam si sanctissimæ suæ Passionis frequenter memores simus, ut ex variis revelationibus ab eo factis patet.

Quia nihil « æquius » est, quam ut, unde omne salutis nostræ pretium fluxit, eo totum amorem, et cogitationes convertamus, fluminum instar, quæ ad locum, unde exeunt, revertuntur.

MEDIA.

AD FRUCTUM EX PASSIONE CHRISTI REFERENDUM. — « Frequenter meditari » de SS. Passione; ex hac enim meditatione exardescet ignis, seu desiderium compatiendi, et condolendi.

« Exempla rerum inanimatarum Christo in morte condolentium perpendere; » sic enim vel pudore victus quis ad similem compassionem movebitur.

« Peccati gravitatem, statum Peccatoris cælestis præmii magnitudinem ponderare; » ex his enim discet animus, magnitudinem beneficii, per passionem collati, æstimare.

« Patiendi occasiones prompte, avidè que arripere; » nam, teste Thoma Kempensi, nemo tam cordialiter sentit Passionem Christi, sicut is, cui contigerit similia pati.

« Crescere in amore, et familiaritate Christi; » sic enim ultro nobis suos dolores tanquam ingentis favoris indicia communicabit, et imprimet, uti non paucis sanctis præstilit.

« B. Virginem rogare, ut tenerum affectum erga Passionem impetret; » quem in finem illa S. Bonaventuræ verba servare possunt: Eia, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam.

ASCETICA.

« In primis nosce debet Asceta, quæ fuerit præcipua causa Passionis; » quam breviter S. Chrysostomus indicavit, dicens:

Hæc prima causa est Dominicæ Passionis, quia scrii voluit, quantum amare hominem Deus. In vita Sanctæ Catharinæ Senensis legitur, ipsam dicere solitam fuisse, quod, sicut Filius Dei nos sine mensura amavit; ita quoque dolores Passionis ipsius sine nulla mensura, aut modo fuerint. Eandem sancta virgo Divo Petro Mediolanensi Carthusiano dixisse legitur, meliorem de Passione Christi institui non posse meditationem, qua si quis serio se ad amorem reflexerit, cum quo Christus pro nobis est passus. Id quod ipsemet Salvator eandem virginem docuerat. Cum enim ipsa dice quodam Sponsum suum more sibi consueto amabiliter interrogasset, quamobrem sibi post mortem latum suum aperiri, tantamque sanguinis copiam effundere voluerit, Christus eidem respondit, multas quidem hujus fuisse rationes, hanc vero esse præcipuam, ut per lateris aperturam secretum cordis sui homini manifestaretur, indeque ediceret, amorem suum erga homines majorem esse illo, quem fornicoseus demonstrabat; siquidem poena, quam deforis sustinebat, finita sit, amor vero, quo hominem diligit, sit infinitus. S. CHRYS., s. VI, in *Fer. 5 Pasch.*

« Nosse debet convenientiam Passionis, » quæ quidem ex quintuplici respectu colligi potest; Nam 1. fuit convenientissima « respectu » Dei, cujus justitiæ satisfieri non poterat, nisi per Passionem Filii, sanguisque illius effusionem. 2. « Respectu Christi » qui condignum pretium pro sua et hominum gratia offerre debebat; hinc Isaia Dei nomine prædixerat: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semem longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur, idest, quidquid circa homines in vitam æternam supernaturaliter perducendo fieri constituit Deus, meritis Christi executioni mandabitur, ut interpretatur Ludovicus Molina. Is. LIII, 10. « Respectu Adami, » ut ipsius peccatum, quod fuit fons et origo cælerorum, debita proportione plecteretur; id quod præclare Eusebius Emyssinus per sententiam § 3. num. 38, citatam ostendit. 4. « Respectu diaboli: » qui meliori modo confundi ac vinci non poterat, quam si propriis armis Christus eum vinceret, et, sicut ipse per lignum et mulierem in mundum innoxium mortem, aliasque miseria; ita Christus per lignum Crucis et Mariam Matrem suam, mundum iterum redimeret, et salvaret.

5. « Respectu hominum : » quod efficacius non poterat a vitis abstrahere, atque ad virtutes exercendas excitare, quam si tali modo pateretur, et moreretur. Quæ omnia fusus a P. Fabro conc. v, in *Dom. Pass.* explicantur.

« Nosse debet fontes, ex quibus gravitas dolorum ac cruciatuum Christi tam exteriorum, quam interiorum profluxit, » quorum quatuor assignat Faber, conc. II, in *Parascève*. Primus est « Charitas Christi, » tum erga Deum, tum erga homines, quæ sicut fuit infinita, ita copiosissime satisfacere volebat. Secundus est « Puritas dolorum, » jam olim in veteri lege prefigurata, ubi vetatur quidquam mellis adolere in sacrificio, quia in sacrificio crucis omnis suavitas defutura erat. LEVIT. II, 11. Tertius est, « Tenerrima complexio corporis Christi, » cum enim anima nobilissima præditus fuerit, merito debebat etiam sensus longe vivaciores habere, atque adeo et sentire magis dolores. Quartus « duratio et continuatio Passionis, » tamque variorum et multiplicum tormentorum ; » decretum quippe erat dæmoni, omnibus eum viribus invadere, ut, quem ista non poterat vincere, gravitate tormentorum superaret.

« Nosse debet utilem modum colendi debite SS. Christi Passionem, » qui quidem in tribus præcipue capitibus constitit, nempe 1. « In assidua memoria. 2. In cordiali et firma fiducia. 3. In liberali et amorosa compassione, » quæ non in affectu dumtaxat sistat, sed ad effectum etiam progrediatur, id est, ad crucem cum Christo ferendam incitet. Qua ratione autem hanc ferre debeamus, pulchre ostendit S. Gregorius, dum ait : Crux a cruciatu dicitur, et duobus modis crucem hauriamus, cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi, necessitate illius nostram putamus. S. GREG., in *Homil.* Hunc modum etiam breviter indicavit Sanctus Bonaventura, dum verba illa, « Attendite et videte » sic exponit : « Attendite, » diligenter considerando, et « videte » compatiendo. S. BONAV., in c. I. THREN. Hinc valide, teste Sancto Bernardo, clamavit, ut audiretur ab hominibus, clamoribus lacrymas addidit ut homo compateretur. S. BERN., et S. BONAVENT., c. 1, 2 *Parascève*.

« Nosse debet modum applicandi sibi Passionem Christi : » Id quod Drogo Hostiensis sic declarat : « O vos omnes, qui

transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor similis, sicut dolor meus ! » Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem vestrum : dolor meus imago doloris vestri est. Quod attenditis in corpore meo, attendite et vos ; si similis dolor non est in corde vestro, transitis a vobis ad me ; transite a me in vos, et videte, si similis dolor in vobis sit, sicut dolor meus : « Nolite flere super me : sed super vos ipsas flete, filiæ Jerusalem ; » nam ille dolor, quem transitis, et non attenditis, magis est flendus, quam dolor meus : « Propter scelus » enim « Vestrum percussus sum, » Drogo, de *Sac. Dom. Pas.* Quod confirmans S. Augustinus : Agnosce, inquit, homo, quantum valeas, et quantum debeas ; et dum tantam redemptionis tuæ perspicis dignitatem, ipse tibi indicat peccandi pudorem. Id quod in alio quodam sermone magna cum sollicitudine repetit, dum ait : Agnosce homo, quantum ab illo expectet Deus, et quem tanta dignatione habuit charum, quam velit esse in conversatione pretiosum, agnoscat homo, quantum valeat, et quantum debeat, et dum pretium suum cogitat, vilis sibi esse desinat. Profecto si quis ad curandum infirmum quemdam, pro remediis inestimabilis valoris comparandis, integrum expenderet auri millionem, facile utique foret inde comprehendere morbi enormitatem, et periculum. S. AUG., s. XLV, in *Apend.* Et ideo S. Bernardus ait : Ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem : nesciebam, sanus mihi videbar, et ecce mittitur virginis Filius, Filius Dei Altissimi, et jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Ideo signantur, juxta S. Isidorum, signo Dominicæ Passionis in fronte fideles populi, ad tutelam salutis, ut hi soli ab interitu liberentur, qui cruore Dominicæ Passionis corde et fronte signati sunt, qui etiam opere loquuntur. S. ISIDOR., in *Cat. Lippom.* S. Gregorius similiter ait : Qui sanguis super utrumque postem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur ; in utroque enim poste sanguis agni est positus. Quando Sacramentum Passionis illius ore ad Redemptionem sumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitur. S. GREG., apud MANSI, *disc.* XII, n. 2. P. Bollandus in Vita B. Angelæ de Fulgino, sponsam celestem ab ea dem sic relatum, hunc cum prædicta sponsa refert miscuisse

sermone : Dictum est mihi a Christo crucifixio mihi apparente, ut in cruce fuit pro nobis appensus : nullus homo, nulla persona poterit habere executionem suæ salutis, quia ad suam salutem procurandam non oportet plus facere, nisi sicut facit infirmus medico, qui volens salutem, ostendit ei infirmitatem, et se disponit ad faciendum, quæ medicus dicit. Ita nunc non oportet, quod aliquis plus faciat, nec aliquid in medicinis expendat, nisi quod ostendat se medico per peccati recognitionem et confessionem, et disponat se ad alia, quæ sibi dicit medicus, et caveat a contrariis. Comprehendebat autem anima mea, quod medicina erat Sanguis Christi, et ipse sine pretio hanc dat medicinam, et non constat plus infirmo peccatori, nisi quod disponat se, et medicus Christus dat sibi salutem, et sanat infirmitatem. Enim vero non sufficit, quod quis amarum Passionis calicem desideret, laudet, ejusdem virtutem sibi perspectam habeat ; sed qui infirmitates suas spirituales curari desiderat, illum ut labiis suis admoveat, et exhauriat, necessum est. Observandum quoque, quod postquam cælestis sponsus cruci suæ mentionem fecisset dicendo : « Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua ; ibi violata est genitrix tua, » immediate subjunxit : « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : » ubi, ut videtis, signaculum hoc non solum cordi, sed etiam brachio imprimi desiderat ; per brachium autem opera designantur. Unde S. Ambrosius ait : Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde ; in fronte, ut semper confiteamur ; in corde, ut semper diligamus ; signaculum in brachio, ut semper operemur. S. Augustinus super illa verba *Psalmi* LXII. « In nomine tuo levabo manus meas ; » Ita scribit : Leva manus tuas in oratione. Levavit pro nobis Dominus Deus noster manus in cruce, et extense sunt manus ejus pro nobis.

« Nosse debet utilem modum meditandi passionem Christi : » qui quidem duplex assignatur a Ludovico de Ponte. Primus est, ut singula mysteria seorsum considerentur, perpendendo, quod sive in personis, sive verbis, sive operibus consideratione dignum est. Secundus est, ut dolor aut virtus aliqua particularis pro materia meditationis assumatur, et perpendatur, quid circa illos in omnibus Passionis partibus

continueatur. LUD. DE PONTE. Utrunque autem, ut efficace et fructuosus sit, curandum est ut sequentibus fere affectibus conditur : 1. « Gratitude. 2. Doloris. 3. Fiduciæ. 4. Amoris. 5. Patientiæ ; » de quorum prioribus sic loquitur Thomas Kemp. In Christi Passione quatuor cogitanda sunt, scilicet dilectio ejus redamando : amaritudo ejus compatiendo : fortitudo ejus adversa patienter sustinendo : et utilitas ejus gratias agendo. THOM. KEMP., in *Opusc. de venerab. Sacram.*

« Nosse debet finem, qui in ejusmodi consideratione præfigendus est : » qui idem juxta diversitatem statuum varius est ; nam tyrones quidem efficacissima reperient media, ad suas passiones mortificandas : proficientes, ad crescendo in omni genere virtutum : perfecti, ad consequendam ardentem amore unionem cum Deo ; cum teste S. Laurentio Justiniano, hoc sit summum beneficium, in quo divina miserationis reseratur abyssus, cælorum aperitur janna, charitatis latitudo ostenditur, et quantus sit homo, apertissime monstratur ; vile enim esse non potest, quod Filii Dei sanguine comparatur. S. LAUR. JUST., de *Triumphali agone Christi*, c. xx.

« Nosse debet, quomodo quisque totam Christi Passionem sibi tribuere debeat ; » uti sat clare Blosius indicavit, dicens : Singula, quæ pertulit Jesus, ita considera, et recipe, quasi pro te solo illa pertulisset ; neque enim ea tibi minus presunt, quam si tu solus per Christum redimendus fuisses ; sed et si solus redimi debuisses, ille pro te uno promptissime, et incarnari, et pati, et mori voluisset. BLOSIUS, in *Conclav.*, c. x, § 7, n. 1 : et confirmavit S. Chrysostomus, dicens : Declarat hoc par esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias Deo, quam si ob ipsum solum advenisset ; neque enim recusaturus erat, vel ob unum tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit ; quo diligit orbem universum. S. CHRYS., in cap. n *Gal.* Sed et Salvianus : Totum, ait, se dedit universis, et singulis totum, ac per hoc quicumque passionem sua Salvator præstitit, totum ei debent universi, sicut totum singuli. SALVIAN., l. I, ad *Ecll.*

« Nosse debet, cur Christus tam cito mori, et non diutius in hoc mundo vivere voluerit : quod honorificentius illi futurum

fuisse creditur; ad quod dubium respondet Salmeron : Christum Dominum in cruce, in tam supremo atque heroico gradu virtutum se omnium exhibuisse exemplar, ut major inde in Deum gloria, et ad nos meriti, et exempli redundaret beneficium, quam si semper una nobiscum vixisset, et nos vitæ exemplo, verboque docuisset; præterea Christi charitatem morte tam acerba detectam atque manifestatam, tanti esse splendoris, et efficacis, ut nulla vitæ etiam longissimæ merita illam æquare possint; denique mortem Crucis tanta patientia a Christo toleratam, ad vitii fugam, virtutisque amorem in nobis excitandum, plus attulisse stimuli, atque momenti, quam vita illius innocentissima, et variis virtutum luminibus, et documentis referta, et multis annorum millibus nobiscum traducta, adferre potuisset. Qui doctissimi hominis sensus, ad posteros etiam litteris commendatus, quantum ad patientiæ cum charitate conjunctæ supra cæteras virtutes præstantiam faciat, nemo est, qui non videt. PERNÆQ., *Isag.*, p. 1.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematis : « Duxerunt eum, ut crucifigerent : » MATTH., xxxvii, 31. Potest ostendi, quomodo Auditores professionem spiritualem instituire debeant. Et 1. quomodo « flagellantis » persona suscipienda, emittendo inordinatum amorem per generosam sui victoriam, sicut per flagella sanguinem elicimus. 2. Quomodo « crux bajulanda sit » per impletionem propriæ cujusque vocationis : nam, ut S. Maximus ait, tota vita Christiani, si secundum Evangelium (et propriam vocationem vivat) crux est ac Martyrium. S. MAXIM., in ser. 3. Quomodo « expansis brachiis » eundem, se ipsum cum Christo crucifigendo, et patienter sustinendo inopiam, dolores, contemptus, velut tres comites Christi. 4. Quomodo, ut hæc omnia facilius executioni mandentur, Crucifixi, vel flagellati Christi imago præferenda, idest, Christi patientis exemplum ob oculos statuendum sit, uti S. Paulus monuit, dicens : Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et

consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. HEBR., xii, 1.

Ex occasione thematis : « Per patientiam curramus ad propositum certamen, aspicientes in auctorem Fidei, et consummatorem Jesum. » Ibm. Potest Passio Christi myrothecio spirituali (« einem geistlichen Balsam Bulchesslein ») comparari. Et 1. ostendi, ex quibus rebus conficiatur, scilicet divinitate, humanitate, cruciatibus, virtutibus, meritis sanguine, morte Christi. 2. Quotopere hoc balsamum sit commendatum a Deo, Christo ipso, Angelis, Apostolis, SS. Patribus, etc. quorum testimonia supra citata videri possunt. 3. Quam diversa balsama pro diversis personis, et morbis spiritualibus reperiantur in hoc myrothecio, præcipue pro tristibus peccatoribus, falso judicatis vel accusatis, contemptis, pauperibus, labore gravi oppressis, inimicitias gerentibus, mori timentibus, etc. Qui omnes, quomodo variis Passionis mysteriis solari se debeant, fusi ostendendum erit, uti facit libellus Germanicus, *das geistliche Balsam Buchslein* vocatus, et Lucernæ impressus.

Ex occasione thematis : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi; inter ubera commorabitur, CANT., i, 12. vel, jam hysens transit, imber abiit, et recessit : flores apparuerunt in terra nostra. » CANT., ii, 44. Potest Passio Christi horto comparari, et inde flores variis colligi, qui per modum verni fasciculi Auditoribus offerantur. Primum itaque flosculus esse dicatur Trissago, per quem intelligitur affectus gratitudinis ob passionem specialiter debita. Secundus viola, per quam dolor peccati indicatur, utpote ad quem elicendum specialiter conducit Passio. Tertius est Origanum, vel Euphrosyon, per quem spes et fiducia, quam Passio singulariter excitare solet, innuitur. Quartus est rosa, per quam patientia significatur, cui præ aliis Passio Christi copiosam materiam, et motiva ministrat. Quintus est flores Echii, per quem amor ab amore Christi patientis singulariter provocatus indicatur. Videantur hic affectus fusi explicati in Auctorio Fabri in *Feria Parasceves*, them. v.

Ex occasione thematis : « Respice in testamentum tuum, » PSAL. lxxiii, v. 20. potest testamentum a Christo in cruce factum, recitari, et explicari. Et 1. quidem dicatur, quomodo « corpus » terræ vel Josepho et

Nicodemio legarit. 2. Quomodo « animam Deo Patri. » 3. Quomodo dolores suos agris. 4. Quomodo injurias suas iis, qui similes patiuntur. 5. Quomodo imagines virtutum filiis suis, in cordis cubiculo suspendendas. 6. Quomodo bibliothecam suam, idest, crucifixum, S. Bonavent. pro bibliotheca habitum, in doctis. 7. Quomodo sumum pharmacopolium, peccatoribus. 8. Quomodo coronam spineam obedientibus. 9. Quomodo linteam renes circumdans, et sanguine purpuratum, luxuriosis. 10. Sacrosancta quinqve vulnera afflictis. 11. Thesaurum meritorum Ecclesiæ. 12. Arma crucis militibus, sub auspicio suo, militantibus. Quæ omnia facile fusi proponi, commendari, et apto Epilogo claudi possunt.

Ex occasione thematis : « Dilectus meus candidus, et rubicundus, » CANT., 5, 9, potest ostendi, quomodo colores Christo convenient, scilicet quomodo fuerit. 1. Candidus ob puritatem et innocentiam; rubicundus ob effusum ex charitate sanguinem. 2. Candidus in nativitate, utpote virginea carne circumdatus; rubicundus in circumcissione, utpote cruore suo aspersus. 3. Candidus in transfiguratione in nivea veste; rubicundus in monte Oliveti, sudore sanguineo perfusus. 4. Candidus in Herodis aula, veste alba circumdatus; rubicundus in atrio Pilati, veste purpurea cinctus. 5. Candidus in cruce ob aquam a latere fluentem; rubicundus in sanguine effuso. 6. Candidus in Sacramento ob panis species; rubicundus ob species vini, et sanguinem sub iis latentem. 7. Candidus ob misericordiam; rubicundus ob justitiam. 8. Candidus in corpore mystico ob virgines; rubicundus propter martyres. Excitentur proinde Auditores, ut et ipsi conentur esse candidi per vitæ innocentiam, rubicondi propter patientiam desiderium et studium.

Ex occasione thematis : « Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, » ostendi potest, quomodo Christus omnia ad se traxerit. Nempe 1. res inanimatas, solem, lunam, petras, quæ extraordinaria signa tristitiæ dederunt. 2. Peccatores, præcipue latronem, aliosque percutientes peclora sua. 3. Mortuos ex sepulchris produentes. Deinde ostendatur, quibus instrumentis traxerit, nempe funiculis Adæ, idest, charitate, qua erga Adamum et omnes posteros ejus ferebatur, quæque ipsum tantopere ad talia patiendâ, et agenda in-

peliebat. Excitentur proin Auditores, ut et ipsi clament cum sponsa : Trahe me post te : curremus in odorem unguentorum tuorum, idest, exemplorum in cruce relictorum, quorum aliqua proponi, et ad proximum explicari possunt. JOAN., xii, 32.

Ex occasione thematis : « Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis. » GENES., vi, 9. Potest Christus cum Noe comparari. 1. Quia significato nominis, qua Noe idem significat, ac cessatio, vel requies, specialiter Christo convenit, ut qui vere cessare fecit miseriam humanam, et requiem æternam sua Passione mundo præparavit. 2. Quia ipse ad humanum genus ab interitu vindicandum, propter innocentiam, et justitiam suam electus est. 3. Quia arcam, idest, Ecclesiam, ædificavit, optimeque contra aquas diluvii, idest, peccata et hæreses, instruxit, ac munivit. 4. Quia per charitatem inebriatus, et in cruce nudatus est. 5. Quia sicut Cham Noe patrem irrisit, ideoque maledictionem ab eo obtinuit, Sem et Japhet vero nuditatem operuerunt, ac propterea benedicti meruerunt; ita Christus ab infidelibus, et malis Christianis irridetur et contemnitur, a bonis autem honoratur, et amatur, unde illi quidem audient : Ite maledicti, hi autem : Venite benedicti. Ostendatur proin fusi, quomodo eum in praxi colore et honorare possint, ac debeant, et quas benedictiones ab eo sperare queant.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Quidam, obscuro, Passioni Salvatoris nostri (de qua Psalmista ait : « Copiosa apud eum redemptio. ») quidnam, inquam, huic deesse poterat, ut S. Paulus se hunc defectum supplere, his verbis dicere non dubitavit : « Adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi? » COLoss., i, 24. Theophylactus ait : Videtur ostentatoris atque arrogantis hic sermo esse, atqui non est. Idipsum quoque Doctor Angelicus confirmat dicens : Hæc verba secundum superficiem malum possunt habere intellectum, scilicet quod Christi Passio non esset sufficiens ad Redemptionem, sed addendæ sint ad compleendum Passiones Sanctorum : sed hoc est hæreticum, quia Sanguis Christi est sufficiens ad Redemptionem etiam multorum

mundorum. Ac proinde hujus textus interpretationes variæ adducuntur: in quibus nostro proposito quam maxime sequens deservit, scilicet quod Passioni Christi sola desit nostra cooperatio. Unde idem S. Thomas ait: Hoc deerat, quod sicut Christus passus erat in corpore suo, ita pateretur in Paulo membro suo, et similiter in aliis. Porro expositio ista ex eodem Sancto Thoma (ut existimo) desumpta fuit, ait enim: Sentit igitur Apostolus, se patiendo afflictiones in carne sua, quadam parte supplere ea, quæ Christo adhuc patienda supersunt, non quidem in ipso, sed in membris. S. THOM., *lect. v.*

S. Gregorius ex actione Samuelis Prophetae, Saulem speciali Dei jussu ad regnum Israëliticum eligenti, sequentem ad propositum nostrum deducit aliam moralitatem, super illa namque verba: « Dixit Samuel coquo: Da partem, quam dedi tibi, et præcepi, ut reponeres seorsim apud te; levavit autem coqus armum, et posuit ante Saul, dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, et comede, quia de industria servatum est tibi. » Super hæc, inquam, verba ita scribit: Remansit quidem, quia non omnia Christus nostra explevit: per Crucem quidem suam omnes redemit, sed remansit, ut qui redimi et regnare cum eo nititur, crucifigatur. Hoc profecto residuum viderat, qui dicebat, « si compatimur, et conregnabimus; » quasi dicat, quod explevit Christus, non valet, nisi et qui id, quod remansit, adimpleat. Hinc B. Petrus Apostolus dicit: « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. » Hinc Paulus ait: Adimpleo ea, quæ desunt, etc. » S. GREGOR., in lib. I *Reg.*, c. vi.

Christus Redemptor noster Passionem suam exorsurus primo in hortum Gethsemani egressus fuisse legitur. Unde Hugo Cardinalis sequentem deducit moralitatem, inquiens: Interpretatur Gethsemani torcular, quia sicut in torculari ex compressis uvis vinum exprimitur; ita in poenitentia compressus peccatis, intus in corde per veram contritionem, vinum compunctionis exteriori per oculos eliquatur. Unde Redemptor noster, ut existimo, per hunc in hortum Gethsemani ingressum docere nos voluit, quod, ut Christo Crucifixo compatiamur, suæque Passionis reddamur particeps, necessum sit, ut exemplo ipsius, si non

sanguinem e venis, saltem lacrymas ab oculis in veræ poenitentia signum dimanare faciamus. HUGO CARDIN. ap. MANSI., *disc.* XII, h. vii.

Narrat Servius de Hercule illo tot monstrorum domitore, quod adeo adamarit Jolen, ut ea jubente clavam, et leonis exuvium deponeret, et neret, et scuticas sibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor mirabilis! Mirabilior Dei amor, qui, cum verberum capax non esset, talem induit naturam, ut verberari posset. Deposuit clavam, et exuvium leonis, idest, divinæ Majestatis et impassibilitatis amictum, et ideo in dorso suo pertulit innumera verbera. IBD., *disc.* IX, n. 2.

Quod si inter nos homo aliquis reperiretur tanta ardens charitate, ut, si quando latro aliquis in flagranti crimine, cum furto in manibus deprehensus duceretur ad furem, hic se rei vestimentis clam induens, factumque latrocinium sibi vendicans, honoris et propriæ vitæ suæ prodigus, pro eo liberando properaret ad patibulum, quid obsecro de tam heroica charitate, diceres? Hæc autem charitas, quæ in puro homine vix est imaginabilis, in Filio Dei excellentissime emicuit. At vero in cujus beneficium eximiam hanc charitatem impendit? nimirum ad salvandam alicujus propudiosi, ingrati, sibi que inobedientis, et rebellis hominis, non solum formam servi accepit, verum insuper furtum primi hominis, idest, peccatum originale, et simul eum illo omnia alia ab humano genere commissa; et deinceps ad finem usque sæculorum committenda peccata sibi vindicavit, suisque humeris imposuit, ut pro illis per probrosum mortem suam ex toto rigore justitiæ satisfaceret. IBD., n. 3.

An unquam reperibilis esset medicus quispiam adeo charitativus, qui, ut eidem ad subeundas medicinas animam adderet pro salute talis infirmi semetipsum omnibus ferri incisionibus, adustionibus, regidis diætis, potionumque amaritudinibus, immo et ipsimet morti, cum acerbissimis doloribus conjuncta subiceret. Hoc autem prestitit Proto-Medicus cœlestis, qui de se ipso ait: « Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. » S. Bernardus salutarem unicuique Christiano tradit doctrinam, quæ tamquam potens peccati frænum seriam meretur considerationem; ait enim: Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera,

pro quibus necesse est Christum Dominum vulnerari. IBD., n. 4.

Dilectam animam alloquitur cœlestis Sponsus, CANT., VIII, 6. « Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. » In Chaldaeo verba prædicta sic habent: Obsecro te: « Pone nos sicut sculpturam annuli super brachium tuum. » En quantum divini amoris sit desiderium, ut perpetuo nobis versetur in memoria, et signaculum seu sculptura vulnerum ejus, in cogitatione, et opere nostro elucescat. PHIL. HARTUNCK., *Domin.* I *Quadrag.*, § 8.

Vidit Apocalyptica Aquila ante thronum Regis gloriæ quatuor animalia, plena oculis ante, et retro. APOCAL., IV, 6. quæ animalia cum sint eadem, quæ Ezechiel vidit c. 1, v. 6. merito quaeritur, quare apud Ezechielem videatur sine oculis, apud Joannem vero oculis plena? Nimirum Ezechieli apparuit Christus in gloria, et majestate, Joanni vero exhibuit se crucifixum, Agnum stantem tanquam occisum, et ideo animalia hic plena oculis; desiderat enim quam maxime Christus Passionem suam omnium observari oculis, et in vegeta semper memoria conservari. Nec unus sufficit oculus, una, inquam, de Passione cogitatio atque recordatio, ut copiosior ex Passione illius in nos fructus redundet: « Super lapidem unum septem oculi sunt: ego cœlabo sculpturam ejus, » inquit Dominus ZACHAR., III, v. 9. Caelatus iste lapis Christus est, quem Pater flagris, spinis, clavis, lancea calavit: « Ego cœlabo sculpturam ejus, » sive, ut in Syto et Arabico legitur: « Ego aperiam portas ejus. » Portæ corporis, et cordis fuerunt plagæ, et vulnera, quæ ideo aperiuntur, ut quam oculatissime inspiciamus, et cum dolorum multitudinem, tum amoris magnitudinem penitissime contemplerur. Per oculos septem, oculi omnium intelliguntur, ex mente Chrysostomi qui utilis occupari non possunt, quam accurata Passionis Dominicæ inspectione. IBD.

ÆQUITAS. — Rogavit aliquando Cyrius Rex Persarum virum Principem, quem cum conjuge captivum tenebat, quid pro conjugis libertate daturus esset: vitam, inquit ille. Hanc deinde captivitate exemptam libertatem Maritus rogavit, quid ipsi de Cyri pulchritudine videretur: Ego, inquit, in Cyrum oculos non conjeci, sed in illum, qui pro me in libertatem afferenda vitam se

daturum est protestatus. Si tantum potuit, ad animum mulieris captivæ devinciendum, unica, et quidem verbo facta de morte pro ipsius libertate subeunda protestatio, quid non faciet mors ipsa, a Deo pro hominibus sceleratis amantissime obita? PENNEQU., p. II, *Isag.*, cap. XVI, n. 13.

UTILITAS. — Nota est omnibus illa Sirenarum fabula, quæ dulcibus, et blandis cantibus suis, navigantes in cantando efficiebant, ut iidem dulci quodam somno absorpti, voracitatis earum prædam efficerentur; Ulysses autem obturatis cera auriculis ad navis malum ligari se fecit, ut periculum istud evadaret. Ex qua fabula S. Maximus opportunam proposito nostro moralitatem deducit, inquiens: Si ergo de Ulysses illo referat fabula, quod eum arboris religatio de periculo liberavit, quanto magis prædicandum est, quod vere factum est, hoc est, quod hodie omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit? Ex quo enim Christus Dominus religatus in Cruce est, ex eo non mundi illecebrosa discrimina, velut clausa aure transisunt, nec cursum melioris vitæ deflectimus in scopulos voluptatis. MANSI., *disc.* IX, n. 7.

In libris Machabeorum dicitur: « Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ, et mori ad accendendos eos in prælium. » Ratio autem, cur feris illis sanguineum hunc colorem ob oculos posuerit, ab insigni quodam auctore his verbis tangitur: « Multarum gentium opinio constat, pugnaces feras intuitu rerum rubrum irritari. S. Antoninus, postquam supradictum Epistolæ S. Petri textum citasset, subjungit: In hujus figuram mandavit Antiochus Rex elephantibus, qui erant in bello, ut ostenderetur sanguis uvæ, et mori, ut acrius accenderetur ad prælium. Similiter ad aspectum, et considerationem sanguinis Christi, qui ad modum uvæ dicitur calcatus in torculari Crucis, bellantes contra adversitates, et mundi tentationes, carnis, et diaboli, accenduntur ad resistendum, et bellandum. S. ANTON., p. IV, tit. III, c. vii, § 4.

Cum demeteretur ager Booz (qui symbolum est carnificina Martyrum, qui, ut granarium cœlestis adimpleret, persecutionis ferro rescissi fuerunt) Ruth, Ecclesiam præfiguranti, sequens datum fuit salutare consilium: « Intinge buccellam tuam in aceto. » Per hoc autem acutum præfiguratur acutum felle mixtum, quod in monte Calvario Chris-

to propinatum fuit; hoc enim innumeros fideles in cunctis sæculis suis in adversitatibus, vel presecutionibus confortavit, restauravit, erexit. Quis enim non ad humilitatem, ad patientiam, ad amorem accendatur (verba sunt exhortatoria Joannis Tauleri) ubi advertit, quam humiliter Dominus Dominorum, qui iudicaturus est vivos et mortuos, coram vili asliterit homuncione, condemnandus ab eodem tantaque cum patientia omnem illam injuriam, probra, confusionem, contemptum, et ignominiam perpessus sit? Et tamen nos miseri vix verbum amore Dei ferre valeamus. Tu doles, te ab amicis, parentibus, filiis, cunctisque aliis esse derelictum, ac desolatum? Ipsemet Salvator ab ipsis quoque Apostolis derelictus fuit « omnes relicto eo fugerunt: » imo Christus de proprio suo Patre æterno lamentatur, dicens: « Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Consolantem me quasi: et non inveni. » Unde merito S. Antoninus in hæc verba scribit: Qui intra se ipsum fluctuat, adversitate pressus, ut ad meliora consurgat, et boni operis gressum in veritate figat, Christum passum ante mentis oculos ponat. TAULERUS, de *Vit. et pass.*, c. xx.

In lib. IV *Reg. c. iv.*, sequens exprimitur figura; dicit enim sacer Textus: « Erat autem fames in terra, et filii Prophetarum habitabant coram Eliseo, dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, et coque pulmentum filiis Prophetarum: et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, et collegit colocynthidas agri, et reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset. Infuderunt ergo socii ut comederent, cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla, vir Dei; et non potuerunt comedere. Tunc Eliseus farinam sibi afferri jussit, quæ ollæ immixta, non solum amaritudinem a pulmento sustulit, sed eximio illud sapore imbuït. » Lyranus per hosce Prophetarum filios Religiosos intelligit austere viventes; hi enim non solum in mensa, verum etiam in vestitu, in habitatione, et in conversatione magnam sensualitatis amaritudinem experiuntur. Ut igitur hæc omnia libenter, imo et hilariter sufferant, hoc opus est farina, idest, frumento electorum ab ipsis per seriam quamdam meditationem contrito: unde Dionysius Carthusianus ait: Studeamus dulcorare amiscendo farinam,

id est, dominicæ Passionis acerbiter, quæ si recte pensetur, omnis affectio mitiatur. LYRANUS, in loc. cit.

In Parabolis Salomonis Deus ita loquitur: « Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. » Et quidem certissimum est, per hæc fores aliud intelligi non posse, præterquam Christi sacratissima vulnera; ac proinde advertendum, S. Joannem non sine mysterio in Evangelio suo in hæc verba scripsisse: « Unus militum lancea latus ejus aperuit. » Non dicit, vulneravit, percussit, sed aperuit, quasi enim latus ejus sauciando, quoad aperuit cælestis Paradisi portam, intra quam beatitudinem, et vitam immortalem invenit, teste Sapiente, qui ait: « Qui me invenit, inveniet vitam et hauriet salutem a Domino. » Merito igitur Doctor Seraphicus exclamabat, dicens: O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt introire! supra suas vires laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium beatorum? Cur tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire. Beatitudo Angelorum patet, paries ejus contractus est, et vos introire negligitis. S. BONAV., c. 1, *Stim. amor.*

Paulus de Palatio opportune quærit, cur eo tempore, quo Salvator in transfiguratione sua in monte Thabor peracta, quodam mundo gloriæ suæ specimen, et prælidium exhibuit, et Pater cælestis eum dilectum suum Filium esse declaravit, Moses et Elias apparentes, de acerbissimis Passionis suæ tormentis, in monte Calvarie sustinendis inter se differere cœperint? Et respondet, id hoc præcipue factum fuisse mysterio, ut omnibus fidelibus hoc perhiberetur documentum, scilicet quod nemo poterit in gloria esse, nisi de Christi morte fuerit locutus; in fide enim sanguinis Christi, saltem implicita, omnes salvantur, qui cælo fruuntur. MANSI, *dis. viii.*, n. 11.

Quæstio est, quamnam diem incarnata, et increata sapientia inter omnes totius septimanæ dies pro consummanda amara Passione sua specialiter selegerit? Nimirum inter omnes septem dies, qui sua a variis Planetis sortiuntur nomina, solum sibi elegit diem Veneris, qui a Venere sortitus est nomen, quæ, ut poætæ fabulantur, lascivi amoris dea et præses existit. Hoc autem eo præcipue mysterio fecit, ut per excessivam

cruciatum suorum penatatem, veneream specialiter in humano genere aboleret concupiscentiam. Unde S. Bernardus alio in loco de Christo crucifixo ait: Et hæc intuens, qui dicitur Christianus, propriis nihilominus voluptatibus indulgere nullatenus erubescit? S. BERN., in *Declam.*

S. Paschasius ingeniose inquit. Cur corona spinea e vertice capitis Christi nunquam fuerit sublata, cum tamen vestimenta ejus, et arundo, sæpius ab ipso ablata fuerint? Et respondet: Ideo ab Evangelista corona spinea non retracta, neque deposita dicitur, quia consumpta a capite Jesu peccata, ut jam non sint spinæ recte creduntur. Sustulit enim ea super venerabile caput suum, et astulit a nobis, ut non sint, ac consumpsit. S. PASCHAS., in *Mat.*

Deus olim Hebræis præcepit, ut occisi Agni sanguine portarum suarum limina tingerent, ut hanc fincturam videns exterminator Angelus, domus illas, omnibus incolis illæsis maentibus, pertransiret. At vero quid opus erat, ut postes domorum, hoc fingerent sanguine? Num forte sine hoc signo Angelus domus reas ab innocentibus discernere non potuisset? Respondeo, potuisset utique; at vero Deus in hoc præcepto certum quoddam innuere volebat mysterium, videlicet, quod signati sanguine Unigeniti Filii Dei, in monte Calvarie sacrificati, evasuri simul omnem divinæ indignationis rigorem, Deoque plenarie reconciliandi. Unde D. Chrysostomus super illa verba Exodi: Videbo sanguinem, et transibo, nec erit in vobis plaga disperdens, ita scribit: Vides, quod sine sanguine salus esse non poterat, neque iis, qui per id tempus, neque iis qui in novissimis temporibus extiterunt. Quanto igitur magis et efficacius hunc effectum operabitur, non jam figura, sed ipsomet figuratum, quod continuo sine ulla intermissione in quotidiano Missæ sacrificio sanguinem suum in emolumentum nostrum effundere non cessat? Unde S. Leo ait: Nunc carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, una Corporis, et Sanguinis sui implet oblatio; quoniam tu es verus « Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. » Confileamur igitur, quod beatus Magister gentium Paulus Apostolus gloriose voce confessus est, dicens: « Fidelis sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores

salvos facere. » Hinc enim mirabilis est erga nos misericordia Dei, quod non pro justis, neque pro sanctis, sed pro iniquis et impiis Christus mortuus est. S. CHRYS., in *cat. Disp. v.*, LEO, s. viii, de *Pass.*

Deus olim in expugnatione urbis Hai Josue præcepit dicens: « Leva clypeum, qui in manu tua est, contra urbem Hai. » At vero quid opus erat dicere: « Qui in manu tua est? » Quis unquam scutum in alia corporis parte; quam in manu portari vidit? sufficiebat igitur dixisse: « Leva clypeum, » absque eo, quod adderetur: « Qui in manu tua est. Lyranus in moralitate hujus loci dubium hoc resolvit inquires: Clypeus iste est memoria dominicæ Passionis: si vero clypeus iste constanter teneatur in manu bonæ operationis, debellatur insultus carnis, vel fomitis, ideo dicit postea: « Josue vero non contraxit, etc. » MANSI, *disc. xii.*, n. 8.

Porro ad exprimentum nobis vivaciter immensum erga nos Redemptoris amorem in Passione sua exhibitum, nihil adeo opportum in medium adduci potest, quam Pellicani exemplum, quamvis nec hoc, ut audietis, integrum cum amore Christi habeat proportionem, licet Christus per os Psalmistæ prædixerit: « Similis factus sum Pellicanæ solitudinis. » Et enim quia Pellicanus in terra nidum suum construit, frequenter pullos ejus a serpentibus lethaliter morderi contingit. Quo facto Pellicanus, vel expertus quidam medicus, rostri sui cuspidem venas pullosum, a malignitate veneni illius infectas, aperit et postquam mortui sunt, sua quoque eadem cuspidem aperit viscera, suumque super illos sanguinem copiose effundens, eosdem revivificat, cum tamen ipse ex indico sibi vulnere moriatur. Et quidem tametsi hic dilectionis affectus in Pellicano magnopere sit æstimandus, cum charitate tamen Christi adæquate comparari nequit, quia Pellicanus moriens sanguinis sui balsamo pullos vivificat, vitamque illorum quasi reduplicat; quia semper filii ejus manserunt. At vero Filii Dei post donatam nobis vitam corporalem, et æternam, nos jam non filios suos, sed filios iræ factos, et inimicos suos, proprio suo nos sanguine revivificat. Eramus natura filii iræ, Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo « cuius gratia estis

salvati » et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu. Cum enim antiquus ille coluber per evomitum super nos peccati venenum nos irreparabiliter æternæ mortis constituisset reos, ipse suum pro nobis effundens copiosissimum sanguinem, nos revivificavit, licet jam non filii ejus, sed inimici et persecutores ipsius essemus. Quis autem reperiri poterit, tam superexcessivo amoris affectu dementatus aut fascinatus, ut sponte mori eligat, ad hoc, ut morte sua illis ipsis vitam donet, qui sine causa, incredibili cum impietate, et ingratitude detestabili ipsum actualiter trucidaverunt, itaque sint redempti sanguinem, quem fuderunt. *IBID.*, *disc.* xviii, n. 2.

COOPERATIO. — Clemens IV ad Jacobum Aragoniæ Regem sequens monitum transmisit, quando hic se itineri ad terram sanctam recuperandam accinxit, nihil faciens, quod Berengarium, quocum scandalosum et impudicum habebat commercium, nequaquam desereret: ita enim dictus Pontifex loquitur: « Tuæ serenitatis litteras recepimus, inter alia continentes, quod ad transfretandum in terræ sanctæ subsidium pro vindicanda Crucifixi injuria te disponere proponebas, etc. Quod licet cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in seipso eum iterum crucifigit. » Et in progressu ejusdem responsi subnectit: « Complacere non poteris Crucifixo, nec injurias ejus redimere, si alterius injuriis ipse nolueris abstinere. » *RAYNAL.*, an. 1162, n. 33.

Quo in pretio Heraclius imperator sanctam Crucem habuerit, ex stipulatis cum Rege Persarum Capitulationibus facile colligitur. Etenim harum prima hæc fuit, ut inestimabilis ille restitueretur Crucis thesaurus, tametsi idem ab eodem barbaro Rege summo quoque in pretio et honore haberetur. Et tamen, quia sacram hanc reliquiam in montem Calvarie portaturus, Crucifixi humilitatem et abjectionem minime fuit imitatus, utpote chlamyde imperiali pretiosissima amictus, ideo hoc accidit miraculum, quod scilicet dictus Imperator ne pedem quidem movere potuerit, donec simplicibus et pauperulis pannis indutus, pedibus discalceatis, ad dictum Calvarie montem procederet. *MANSI.*, *disc.* xii, n. 6.

IMITATIO. — Vana est compassio, si desit patientis imitatio. Passus pro nobis Deus Homo est, non ut corde solo recogitemus dolores ejus, et vulnera, sed ut sequamur ejus vestigia. Acriter sensit David, quod in fuga sua, cum nudis pedibus ascenderet cli-vum Olivarum, secutus non fuerit Miphobeth Regis commensalis; quare acerbis cum verbis Rex perstrinxit: « Quare non venisti mecum Miphobeth? Reg. xix, quasi dicat: Fidelis ad mensam comes es, cur non et umbra convivii? si consors felicitatis, cur non et contribulis in tribulatione? » Quare non venisti mecum Miphobeth? » Claudius erat Miphobeth, et sequi Regem commode non poterat, quod tamen secutus vel claudo pede non fuerit, fortunis suis excedit. Quanto ægrius sentit filius David ter benedictus Jesus, si imitari patientem nolimus, qui socii mensæ, et gloriæ ejus fieri participes affectamus. *HARTUNCK.* Conc. civil. in *Dominic. Quadr.*

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Majolus scribit, quondam duos homines eodem in carcere fuisse, reum alterum, alterum innocentem; cum autem reus a lictoribus ad mortem vocaretur, egressus innocens, ut qui idem cum reo nomen habebat, ad mortem ductus et occisus est; nec apparuit error, donec de alterius judicio actum est. Applicatio facilis ad Christum. *MAJOL.*, l. I, *Canic.* col. iv.

Christus S. Gertrudem docuit, quod homo aspiciens Crucifixi imaginem existimare debeat, ipsum similibus verbis eum alloqui: En vides, quomodo tui amoris causa nudus in Cruce pependim, despectus quoque, totoque corpore vulneratus, ac per singula membra distentus. Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, ut si salutis tuæ expediret, aliterque æternam felicitatem consequi non posses, vellem pro te solo tolerare omnia, quæ sustinui pro toto mundo. *BROSIVS.* in *Monil. spir.*, c. 1.

S. Birgittæ quoque quondam dixit: Dilectio mea erga hominem modo æque grandis atque incomprehensibilis est, sicuterat tempore Passionis meæ. Etsi fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, promptissima voluntate et perfectissima charitate corpus meum traderem, eandemque

Passionem et mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. *IBID.*

Recte Christus arbori myrrhæ a sponsa comparatur, myrrham primam distillantem, quia sicut myrrha solet succum quandam amarum per corticem emittere, qui liquor myrrha prima se electa vocatur, ad distinctionem illius, quæ cortice discisso fluit; ita Christus in horto sanguinem velut myrrham primam sudavit, non expectatis, qui eum elicerent. *CANT.*, ii, 13.

Egesippus ait, hortum Oliveti, postquam sudore Christi sanguineo immaduit, flores produxisse, in quorum foliis scriptum erat: O mors, quam amare est memoria tua! *MARCHANT.*, tr. iii, lib. XVI, prop. 3.

UTILITAS. — Tygranes Rex cum sua conjugate a Cyro Rege Persarum captus, cum interrogaretur, qui pro uxoris liberatione dare vellet: respondit, se libenter vita pro uxoris redemptione oblaturum. Quæ responsio adeo Cyro placuit, ut mox ipsum cum uxore liberum dimiserit. Cum vero in reditu Tygranes conjugem quaereret, quomodo ipsi vultus Cyri placuisset, respondit illa, se id nescire; ab eo enim tempore, quo ipse pro ea vitam obtulit, se in nemine alium oculos conjecisse, quam in eum, a quo se tantopere amari advertisset. Quidni magis in Christum oculos assiduo conjiciamus, qui actum vitam, et quidem tali modo dedit? *XENOPI.*

Clotildis Regina cum pessime a marito tractaretur, sanguinem strophiloe exoptum fratri misit, et ex hoc sanguine colligere jussit, quomodo a marito tractetur; quo accepto adeo frater commotus est, ut mox conscripto exercitio Maritum oppugnaret. Quidni ergo et nos visis Christi vestibus sanguine eruentatis bellum contra peccata quæ taliter Christum tractarunt, assumemus? *ENGELER.*

S. Magdalena de Pazzis divinitus edocta est, quod, quoties creatura offert sanguinem Christi, quo redempta est, æterno Patri, tale donum offerat, ut ille quasi non habeat pretium, quo solvat. Hoc donum esse tam magnum aiebat, ut Pater æternus se reputet obligatum creaturæ suæ. *LANCIZ.*, *opusc.* xi, n. 56.

Christus quondam S. Gertrudi dixit: Quicumque quamlibet gravi pondere peccatorum oppressus respirare poterit in spem veniæ, offerendo Deo Patri innocentissimum

meam Passionem et mortem. Et credat, se per hoc saluberrimum fructum indulgentiæ obtinere, quia nullum tam efficax remedium contra peccata poterit in terris haberi, quam devota memoria meæ Passionis, cum vera pœnitentia, et fide recta. *S. GERTR.*, lib. IV, *insm. div. piet.*

Idem Christus B. Angelæ de Fulgino dixit: Quicumque vult invenire gratiam meam non levet oculos a cruce; sive concedam, sive permittam eum in tristitia, vel lætitia esse vel vivere. *LANCIZ.*, *opusc.* xi, cap. x, n. 64.

Annua a S. Bartholomæo ad choreas emittit Christus se ostendit, dixitque: Perge te vanitati dare, dum ego in tormentis hæreo. Sicque disparsens ita percussam reliquit ut mox in Monasterium Carmelitarum se conferret. *VITA.*

Cum quidam Religiosus pertæsus disciplina ex monasterio fugeret, in via obvius quispiam austero vultu, minacibus oculis, et acri voce dixit: Quo tu vadis? cumque is diceret: Quid tibi mecum? ille aperta veste ostendens vulnera recentis sanguine conspersa dixit: Poteris his testibus cognoscere, quam mea interit de hoc tuo itinere interrogare, quæ, ut te ab itinere æternæ damnationis abducerem, in cruce pertuli. *CHRONIC. S. FRANC.*

S. Gertrudis in raptu quondam vidit Christum in mensa sedentem, et S. Joannem assidentem, et scribentem alia atramento, alia coloribus, sed in peculiari libro scripsit calamo in sanguinem et vulnera intincto characteres, qui ut stellæ radiabant, et, ut Christus eidem revelavit, significabant opera SS. Passionis illius unita, et ab his splendore et efficaciam haurientia. *KISSEL.*, t. I, *Ez.* v, § 2.

Urias a Rege David invitatus, ut lavaret pedes, et in domum suam se reciperet, respondit: Arca Dei, et Israel, et Juda habitant in papilionibus, et dominus meus Joad, et servi domini mei super faciem terræ manent et ego ingrediar domum meam, ut comedam, et bibam, et dormiam cum uxore meâ? Per salutem tuam, et per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc. Quanto magis Christianus recolens, quanta pro se passus Christus, a superfluis deliciis et peccato abstineat. *II REG.*, xi.

Veteranus miles Cæsaris in jus vocatus, cum Cæsarem rogasset, ut sibi adesse vellet Cæsarem autem mox e suo comitatu aliquem

assignasset, vociferans dixit illi: « At non ego te, o Cæsar, periclitante Actiaco bello, vicarium quæsi, sed pro te ipse pugnavi, simulque aperta veste cicatrices ostendit: « quibus visis erubuit Cæsar, et in advotionem ipse descendit. Quanto magis vulnera Christi ab homine, pro quo accepta sunt, conspecta, quidvis ab eo impetrabant? SUTTON., in Aug.

Christus S. Mariæ Magdalene de Pazzis dixit: Dico tibi, si qualibet feria sexta attendas horæ, qua expiravi in Cruce, continuo recipies particulares gratias a Spiritu, quem reddidi Patri æterno; et quamvis illas non senties, nihilominus semper requiescet in te. Vita, p. III, § 1.

Qui diligenter et pie in humanitatis Dominicæ Mysteriorum contemplandis versantur, idem Divinitatis quoque ejus delicias mire pascentur. Via enim et veluti scala ad Divinitatis gloriam contemplandam humanitas Christi est, ipso dicente: Ego sum via, veritas, et vita. Hoc autem innuere sponsa in Canticis videtur, cum ait: Lava ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me. Lava enim humanitatis, dextera Divinitatis Christi est. Eum enim, qui in humanitatis lava capite superposito requiescit (dum omnia sacre humanitatis mysteria pia cogitatione revolvit), illum divinitatis dextera molli sinu fovet, et amplectitur, et celestibus deliciis pascit. LUDOVIC., *Gran. in loc. com.*, § 58.

Nyssenius illud: Vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum despectum, et novissimum virorum, ait ex Hebræo verti *cessatio virorum*: quia sicut duellantes servi cessant litigare conspecto Rege, sic homines cessabant irasci, vindicare, conspecto Christo. NYSSEN., *Dom.*, ex. § 4.

Christus, dum adhuc viveret, suavibus verbis invitavit ad se homines dicens: Si quis vult venire post me, etc., at de se morituro dicit: Et ego si a terra exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum; innuens mortem sola consideratione sufficere ad movendum. *Id.*, *Dom. Quingua.*, § 4.

Sol eclipsis patiens, omnia decolorat. Sic verus Sol Christus, qui cognovit occasum suum, eclipsin mortis in cruce patiens, omnes colores, omnes vanitates, omnes glorias fallaces, omnes honores debet decolorare. Ideo dicit anima poenitentis: Nigra sum, sed formosa, quia decoloravit me sol, dum enim oculo fidei Deum meum, Sponsum meum

Jesum Christum in cruce pendentem, clavis confixum, felle et aceto potatum, corona spinea coronatum video, omnis decor, omnis gloria, omnis honor, omnis potentia transitoria in pallorem vertitur, et a me nihili aestimatur. *IBID.* S. ANTON. DE PAD., *Dom. 3 Quadr.*

IMITATIO. — Sicut duces erecto vexillo trahunt post se milites; ita sponsus sponsam immensa sua charitate in cruce potissimum ostensa trahit; cæteris namque beneficiis ad sui amorem invitavit, at mortis beneficio compulit. GRAN., *loc. com.*, f. 58.

Cum D. Petrum Martyrem tres e celo lapsæ virgines visitasset, et ille ideo accusatus ac ad Esinum Cœnobium relegatus, Christo crucifixo suam injuriam quereretur, Christus eidem de cruce respondit: Et ego quid feci, ut tot ac tantis onerarer opprobriis, et morte turpissima condemnarer? Ex me disce ignominias et opprobria patienter ferre. *RIBAD.*, 29 ap.

Christus quondam S. Gertrudi dixit: Qui circa meam afficiuntur imaginem, et passionis meæ exempla non sequuntur per imitationem, hos respicio, sicut juvenula a matre sua posset acceptare, quod eam diversimode vestibus ornaret, secundum placentiam suam et honorem; nec tamen hoc, quod filia maxime desideraret, perficeret, imo etiam quandoque durius negaret. S. GERTRUD., in *fin.*, c. XLII.

Virgines Annunciatæ, dum novitiam suscipiunt, Priorissa, quæ apud eas Mater Ancilla nominatur, ei cum filiabus occurrentes genuflexæ gradem crucem floribus ornata, brachiis amplexandam offert, et offerendo canit: Veni, soror nostra, ascendamus in palmam Christi, et apprehendamus fructus ejus. MARGANT., *lect. xx*, prop. 2.

MEDITATIO. — Rosendus Episcopus pro in signi speculum cum circino habebat cruci appensum, significare volens sæpius nobis Christi passionem velut speculum contemplandam, et juxta illam omnes actiones nostras ordinandas, et velut circino mensurandas. *Amor. crucifix.*

Christus S. Birgittæ quondam dixit: Consulo tibi, cogitare duo continuo in corde tuo. Primo, quæ feci pro te, patiendo et moriendo pro te; hæc cogitatio excitat charitatem ad Deum. Secundo considera justitiam meam, et futurum judicium; hæc incutit timorem in animo. L. II, *Revel.*, c. XIX.

COMPASSIO. — Christus B. Veronicæ vir-

gini Augustinæ dixit: Opto omnes homines satagere, ut corde affligantur ob passionis meæ venerationem velut mihi compatientes. Quod si vel sola lacrymula egerint, magnum aliquid se egisse arbitrentur; nulla etenim lingua mortalium exploratum efficere potest, quantum jucunditatis mihi, et quantum commodi illi afferat illa lacrymula. Vita, l. VI, c. IX.

B. Joannæ ab Angelis revelatum est, divinam Majestatem cum tanto affectu amoris accipere planctum ob passionem, et illum adeo gratum esse sacrificium, ac si spargeretur sanguis, et afflictiones magnæ pro eo tolerarentur. Vita, c. XIV.

B. Angela de Fulgino inter alias benedictiones, quas Christus pronuntiavit super devotos suæ Passionis, etiam hanc audivit: Benedicti vos a Patre meo et Spiritu S., et vere benedicti benedictione, quam dabo in extremo judicio, quia me in propria mea venientem, sicut mei persecutores, non repulistis, sed me desolatum in cordis mei hospicio per compassionem hospitem recipere voluistis. Qui mihi in cruce nudo insistenti, sitiienti, famescenti, infirmo, clavis affixo, et morienti compati, et consocii mei esse voluistis, in hoc vere misericordiae opera complevestis. Vita, c. VI, n. 102.

S. Birgitta in suis Revelationibus testatur, tempore passionis omnes, qui in orbe erant, homines interno dolore, ac pavore tactos fuisse, tametsi nescirent, unde is proveniret. FAB., conc. VII, in *Dom. Pass.*

In Ezechiele jubentur omnes occidi, qui signum T. in frontibus expressum non habebant, qui docuit Propheta, eos omnes perire, qui in cordibus et ante oculos Passionis Dominicæ memoriam non circumferant.

AUCTORES.

Alphonsus Rodrig., p. II, tr. VII, toto.
C. Robertus Bellarminus *de Septem verbis*.

Eusebius Nierembergius, l. II, *de Adorat.*, c. VII, VI et XI.

Gasparus Tusch, in *Matre dolorosa*.

Hieremias Drexelius, in *Christo patiente*.

Philippus D. Outreman, in *Pædagogio Christiano*, p. I, c. VIII, § 3.

Jacobus Marchantius, *Horto Pastorum*, tr. III, lect. XVI, usque ad XXII.

TOMUS III.

Nicolaus Lancizius, opusc. XI, c. VI.

Ludovicus Granat, in *Loc. comm.*, f. 54.

Mathias Faber, in *Feria Parasæve*; et *Dom. Pass.*, per aliquot Conc.

Hadrianus Lyraeus, in *Apoph. S. Ignatii*, *Apoph. XVII*, l. I.

Thomas Stapletonus in *Dom. Quing.*, tex. I, et II.

Joan. Major in *Magno spec. Exemp.*

Antonius Dauroultius in *Catechismo Historiali*, c. I, tit. XXXI, et seqq.

Josephus Langius in *Polyanthæa* V, eodem, et V. *Cruz Christi*.

Leopoldus Mancius, *de Passione Dominicæ*.

Ludovicus de Pont., p. IV, *suarum Medit.*

Laurentius Forer., p. IV, *Vitæ Christi*.

PATIENTIA.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est virtus, qua mala hujus sæculi æquo animo sustinemus, ita ut propter illa nec interius immoderate turbemur, aut tristemur, nec exterius aliquid minus honestum aut decorum admittamus. JAC. ALVAR., t. II, l. III, p. II, c. VIII, § 5. Id quod brevis Cicero expressit, dicens, esse virtutem, qua contumeliarum et omnis adversitatis impetus æquamiter toleramus. II RHETOR.

Materia ejus « proxima » sunt tristitia et afflictio animi, ex malis oriri solite: « remota » materia sunt verba, actiones, et gestus externi, quos ita regit, ut interna moderatio in eis eluceat: « remotissima » materia sunt ipsa mala, quæ sunt objectum et causa tristitiæ. BERLINCK, in *Theat. V. patient.*

Tertullianus sic eam describit, et imaginem ejus depingit: « Vultus » illi tranquillus et placidus: « Frons » pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta: « Supercilia » in lætum modum remissa: « Oculi » humilitate, non infelicitate, dejecti: « Os » taciturnitatis rubore signatum: « Color », qualis securis et innoxiiis: Motus frequens